DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE HYSTERIA.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
Eruditorum examini subjicit

GULIELMUS BOUSH,
VIRGINIENSIS.

Societatis Medicae Edinensis Socius,
NEC NON
Societatis Physico-Chirurgicae Edin. Sodalis.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXVIII.

Dr. Wade

from his friend & Servt.

W. Bouch-

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYSTERIA.

OMNIUM morborum, qui genus humanum invadunt, nullus forſitan plus moleſtiae iis faceſſit, formaſve magis varias induit, quam is qui vulgo Hyſteria appellari ſolet. Hunc morbum alii noſologi aliter definierunt; nulla vero definitio, quam hucuſque offendimus, cum Culleniana, quae hujuſmodi eſt, poteſt conferri: "Ventris murmura; ſenſus globi in abdomine ſe vol-

ventis, ad ventriculum et fauces aſcendentis, ibique ſtrangulantis, ſopor, convulſiones, urinae limpidae copia profuſa, animus nec ſponte varius et mutabilis."

HISTORIA MORBI.

Quanquam mulieres huic morbo potiſſimum patent; exempla tamen non deſunt, ubi viros quoque occupat.

Quae notae in charactere ſunt depictae, eae ex intervallis incertis, modo brevioribus, modo longioribus, redeunt, nunc leviores, nunc graviores. Languor, totius corporis debilitas, oſcitatio, inquietudo, ſenſuſque frigoris, qui plerumque totum per paroxyſmum manet, acceſſionem hyſteriae plerumque antecedere conſuerunt. His aliquando ſuccedit dolor lumborum, cum ſenſu caloris. Deinde vultus palleſcit aut rubeſcit; dolor gravis caput, tempora, et oculos corripit; lachrymae profunduntur, oculi caligant. Poſtea venter inflatur, vel ſenſus tumoris oritur, qui in varias

rias totius abdominis partes ſeſe diffundit, murmure majore aut minore ſtipatus. Quaſi globus tandem in hypogaſtrio ſentitur, qui non fixus manet, ſed inde aſcendens in ventriculo percipitur, ubi anxietatem praecordiorum, nauſeam vomitumque facit. Inde ſecundum oeſophagum ad fauces uſque aſcendit, ubi aliquamdiu haeret plus minuſve ſenſus ſuffocationis movens. Cum morbus eo uſque progreſſus eſt, plerumque ſtupore, inſenſilitate, et ſpecie deliquii animi, ſtipatur. Haec omnia nonnunquam in ſoporem deſinunt, aegrotae nonnunquam pectora plangunt, et convulſionibus violentis epilepſiae proprias reddentibus agitantur. Poſt aliquantum temporis paroxyſmus remittere incipit, pulſus arteriarum, ante parvuli et debiles, molles et pleni evadunt, ſuſpiria tarda et gravia ab imo pectore ducuntur, inteſtina murmurant, aër e ventriculo rejicitur, rubor in faciem diffunditur, ſenſus motuſque cum voce redeunt. Univerſa tandem ſigna apparent quae ſanitatem ſignificant, et aegrota languorem ſolummodo et capitis dolorem queritur.

tur. Haec ſunt praecipua et maxime communia hyſteriae ſigna ; non tamen in omni exemplo ex toto eadem ſunt. Aliqua pars capitis dolore ſemper afficitur, modo ſinciput, modo tempora, potiſſimum occiput. Senſus autem hujus doloris eſt, quaſi clavus parti laboranti infigeretur, unde Clavus Hyſtericus appellari conſuevit. Quinetiam functiones vitales perturbantur, cor violenter palpitat, ictus arteriarum duri et inaequales fiunt, et ſpiritus difficilis. Nonnunquam accidit univerſa fere pulſus et reſpirationis ceſſatio. Lumbi, dorſum, renes, et veſica urinaria, dolore gravi nonnunquam afficiuntur, et deſiderium urinam reddendi immodicum aegram invadit, quae limpida et copioſa excernitur. Quanquam hyſteria morbus corporeus ſit ; animus tamen quoque graviſſime laborat. Status ejus admodum varius. Aliquando ſumma hilaritas ſubeſt cum riſu immodico, dum aegrota aliena loquitur, et fere delirare videtur. Aliquando, contra, abſque cauſa evidente, ſeſe oſtendunt, animus inſigniter demiſſus, moeſtitia, lachrymatio

matio et ejulatio continuae, et metus mortis perpetuus. Cum notae hyſteriae numero, ſpecie, duratione, magnopere differunt, omnes comprehendere, ſingulaſque ordine, quo ſeſe oſtendunt, proſequi non opis eſt noſtrae.

DIAGNOSIS.

Opinio apud medicos olim invaluit, hyſteriam et hypochondriaſin eundem eſſe morbum, et hoc tantum, quod haec unum, illa alterum ſexum invaderet, poſſe diſtingui. Quamvis hyſteria et hypochondriaſis nonnullis in ſignis inter ſeſe conveniant; morbi tamen penitus diverſi eos etiam parum attente conſideranti eſſe videbuntur. Cum ſexu quidem, ſed non adeo arcte, conjunguntur, ut vel unus vel alter ſexus uno vel altero morbo ex toto vacet; namque exempla non deſunt, ubi hyſteria in maribus, et hypochondriaſis in foeminis, frequentius vita bene provecta, ſeſe oſtendit. Sexu multo accuratius diſtinguentur, ſi ei diverſitatem temperamenti

ti adjungamus; neminem enim latet, hypochondriasin cum temperamento melancholico, hysteriam cum sanguineo, conjungi. Morbos quoque per aetatem magna ex parte secernere possumus; hypochondriasis enim seniores fere constanter, hysteria juniores potissimum, invadit. His quoque accedit, quod paroxysmi hujus et illius modo diverso accedunt. Hysteria aegrotam subito occupat, et, ut concidat, facit; hypochondriasis, contra, tarde accedit, et globo hysterico et affectibus canalis alimentarii convulsivis caret. Haec, uti speramus, hysteriam ab hypochondriasi satis secernent.

Quaedam similitudo hysteriam inter et syncopen quoque intercedit; sed notae satis manifestae sunt, quae hanc ab illa distinguunt. In hac pulsus arteriarum et respiratio ex toto cessant; sed in illa plane percipi possunt. In illa facies magis rubescit; dum in hac magnopere pallescit. Insuper, paroxysmus hystericus diutius manet quam syncope, et dum aliquis animo linquitur, nulli affectus convulsivi ventrem infestant.

Alius

Alius morbus tantum, viz. epilepſia, ſupereſt, qui mentione dignus eſt. In hoc convulſiones graviſſimae aegrotantem invadunt; ſed hae utriuſque morbi non communes ſunt. Nam, quotieſcunque hyſtericae apparent, ab omnibus aliis hoc plane diſtingui poſſunt, quod aegrota ſenſu per paroxyſmum non ex toto orbatur; et globo quoque aliiſque ſignis, quae paroxyſmum antecedere ſolent, afficitur. Quinetiam, cum paroxyſmus hyſtericus deceſſit, vigorem omnium corporis membrorum ſenſumque omnigenum quaſi momento recuperat aegrota; contra, poſt paroxyſmum epilepticum, manent ſtupor, caligo, torpor, et omnium membrorum laſſitudo. Iis, quae hyſteriam ab aliis morbis ſecernunt, hoc modo breviter percurſis, proximum eſt ut cauſas hyſteriae exequamur.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Hyſteria foeminas, certo vitae tempore, praeſertim a pubertate ad annum aetatis trigeſimum

gesimum quintum usque, plenissimas et temperamento sanguineas, et magna animi sensilitate praeditas, potissimum invadere consuevit. Saepius, mensibus sese ostensuris vel provenientibus, accedit, quod systema eo tempore maxime mobile. Juniores viduas, sterilesque saepius, quam foecundas, occupare fertur. Hinc proclivitatem ad morbum a certa mobilitate systematis nervosi et sensilitate adauctis pendere cogimus.

Per mobilitatem, eam celeritatem et facilitatem, qua vis nervosa ad actionem cieatur, significamus. Mobilitas autem hujusmodi aucta a staminibus primariis proficisci potest. Hinc, non absque ratione gravissima, parentes progeniem suam hoc morbo impertiri posse, fuit asseveratum. Hoc autem per certum seminium faciunt. Caeterum saepius forsitan acquiritur, et ad eam movendam multum conferunt victus lautior et omnia quae plenitudinem faciunt. Quo modo hoc incidere possit, intellectu minime difficile; namque plenitudo tensionem systematis arteriosi, quae fibrarum motricium actioni plurimum

mum favet, adauget. Extenſio vel diſtenſio ad contractionem muſculi vivi, ut ex actione cordis conſtante apparet, excitandam ſemper ſufficit. Igitur, cum tonus ſyſtematis arterioſi, quem inter et tonum ſyſtematis univerſi arctus nexus intercedit, a tenſione a mole humorum oriunda pendens per plenitudinem augeatur, evidentiſſimum eſt plenitudinem ſyſtematis arterioſi mobilitatem univerſi ſyſmatis perinde ac arterioſi ſibi pro rata ratione reſpondentem eſſe facturam. Conſuetudo quoque mobilitatem morbidam non tantum movere, ſed etiam augere poteſt. Namque actio muſculorum citra debilitatem et defatigationem reiterata contractiones eorum faciliores et validiores efficit. Hanc ob cauſam, omnes affectus ſpaſmodici facillime redeunt, et ſublatu difficillimi ſunt.

Senſilitas autem eſt is nervorum extremorum ſentientium ſtatus, quo impulſus externorum corpori admotus ad cerebrum devehitur, ſenſum, et omnia quae eum ſubſequuntur, faciens. Vel ſenſilitas, ut alia verba adhibeam, ab impulſu externo ſolo fines ner-

vorum ſentientes afficiente, motum in illis excitante, proficiſcitur, qui ſecundum nervos ad cerebrum aſcendit, unde ſenſus et voluntas oriuntur. Senſilitas aucta a conditionibus diverſis ſubſtantiae medulloſae extremorum nervorum ſentientium, ei per ſtamina primaria datis, pendere poteſt. Quinetiam ſenſilitas morbida a ſtatu diverſo tenſionis ſubſtantiae nervorum extremorum ſentientium medulloſae, ei per vaſorum ſanguiferorum plenitudinem dato promanare poteſt.

CAUSÆ OCCASIONALES.

Hyſteriam excitant multae variaeque cauſae; in primis, affectus animi violenti, praeſertim ſi ſubito et inſperato moveantur. Praecipui reliquorum affectuum, qui idem praeſtant, ſunt, gaudium, moeſtitia, amor, odium, et ira. Caeterum, modus, quo agant, admodum obſcurus eſt, et forſitan ſemper inexplicabilis manebit. Inſuper, certi odores nervos olfactorios modo ſingulari afficientes

hunc

hunc morbum movere consuerunt. Hi autem eos solos afficere videntur, qui temperamentum singulare idiosyncrasiamve, uti appellatur, habent. Idiosyncrasia per sensilitatem partis certae singularem sese potissimum ostendit, quae facit, ut alias impressiones debiles acutissime, alias idem genus minime, sentiat. Ita homo certus, quod compertum habetur, odore carnis ovillae percepto, semper animo linqui consuevit. Alii odores alios afficiunt, alios moschus, alios rosa. Certa quoque ingesta hysteriam concitant; nulla enim systematis pars idiosyncrasia vacat. Hic morbus insuper a ratione victus luxuriosa et opipara, vita sedentaria, et multis aliis, quae plenitudinem systematis faciunt, proficisci potest. Hinc inter honestiore loco natas et opulentas potissimum grassatur. Praeter causas jam comprehensas, omnes subitae systematis mutationes hysteriam movere possunt, quales sunt, evacuationes solitae suppressae, menses, exempli gratia, vel haemorrhois suppressa. Evacuationes hoc genus obstructae morbum forsitan plenitudinem corporis augendo inducunt. Hysteria

ſteria quoque ab inanitione, vel nimia evacuatione, originem deducere poteſt. Hoc forſitan aeque a ſubita ac liberali evacuatione pendet. Menſes vel lochia in puerperis immodice profuſa ab omnibus medicis pro cauſa hujus morbi non ita rara habentur. Experientia quotidiana rem ita ſeſe habere teſtatur, quomodocunque hyſteriam excitet nimia profuſio. Cauſis ſupra relatis adjungendae ſunt, quaelibet fatigatio inſolita, quaelibet corporis agitatio ſingularis. Silentio non praetereundum videtur, calorem externum, et omnia quae ſanguinem turgidum reddere poſſunt, paroxyſmum hyſtericum poſſe movere. Hae ſunt praecipuae e multis cauſis quae hyſteriam dare videntur. Multas quidem omittendas putavimus, quarum mentionem injeciſſe limites diſſertatiunculae hujuſmodi exceſſiſſet.

CAUSA PROXIMA.

Phaenomena hujusce morbi praecipua, qualia sunt globus abdominis, ventris murmura, urina limpida, &c. causam hysteriae proximam affectum canalis alimentarii spasmodicum, cujus effectus in reliquas systematis partes diffunduntur, esse demonstrant. Hi affectus spasmodici canalem alimentarium potissimum infestant, cujus causam investigare inutile et supervacaneum foret, cum tenebris tam spissis involuta esse videatur. Hoc autem compertum habemus, canalem alimentarium mobilitati et sensilitati morbidae, quam plerasque alias systematis humani partes, magis patere, et spasmos gravissimos, ob eum consensum sympathiamve nervosam, quae canalem alimentarium inter et reliquas systematis partes constanter intercedit, totum corpus afficere consuesse. Denique, quae incidant reperire, quam quae incidant exponere, utilius.

PROG-

PROGNOSIS.

Hyſteria plus metus mortalibus incutit, quam periculi infert. E gravitate numeroque ſignorum, ex notitia cauſae quae paroxyſmum movet, et ex acceſſionibus magis minuſve crebris, ſuper morbi eventu judicandum. Quando aegrota majore in periculo verſetur, vel quando adverſus idem ſit tuta, ex hiſtoria morbi colligi poteſt. Unum forſitan notare neceſſarium eſt, nihil, nempe, actione cordis et pulmonum libera manente, eſſe timendum. In ſumma, hyſteria raro funeſta eſt, niſi admodum gravis ſit, vel corpus admodum debile vel morbidum ſit. Curatio tamen ſaepe difficilis eſt, cum actionem cauſarum, quae proclivitatem ad morbum dant, eundemve movent, ſiſtere in primis arduum ſit, cumque remedia potentiſſima in morbum ſaepe parum poſſint.

RATIO

RATIO MEDENDI.

Consilia autem medendi hoc in morbo duo sequentia esse videntur.

I. Paroxysmos quam primum ad finem perducere.

II. Per intervalla reditum paroxysmorum praecavere.

I. Priori autem consilio, cum morbus in affectu canalis alimentarii spasmodico consistat, ea remedia optime respondent, quae motus corporis abnormes et convulsivos potenter consopiunt. Haec antispasmodica appellantur, et externe aut interne adhiberi possunt. Antequam vero de hisce dicamus, quaestio oritur, quae attentionem nostram meretur, utrum, necne, sanguis, nempe, in paroxysmo hysterico, cum commodo possit detrahi? Ad hoc quidem remedium, morbo gravi, plerumque decurrunt medici. Et plenitudine, ut saepe fit, substante, paroxysmum compescendo, eumve citius solvendo, prodesse

prodeſſe poteſt. Cum vero morbus a pura ſyſtematis nervoſi mobilitate pendet, remedium parum certum et anceps eſt, et etiam, aegrota pleniore, ſanguinis detractio reiterata plenitudinem potius faciet, quam eidem occurret. Inſuper, ſi paroxyſmi ſaepe redeant, magis magiſque aliena fit; quoniam conſuetudo nunc magis ad morbum movendum, quam plenitudo ipſa, confert. Igitur, ſi unquam ad ſanguinis emiſſionem confugiamus, ſub primam morbi acceſſionem tantum conveniet, et eo tempore etiam caute adhiberi debet.

Applicationes frigidae, ut aqua frigida, potius ancipites ſunt, quanquam aegrotam excitando nonnunquam proſunt, cum paroxyſmus jam acceſſit, praeſertim cum ſpeciem ſyncopes prae ſeſe fert. Si paroxyſmus diu manet, enemata, quibus aliquantum aſſae faetidae fuit adjunctum, cum aliquo commodo poſſunt adhiberi. Antiſpaſmodica, quae vim ſtimulantem habent, naribus applicari poſſunt, qualia ſunt, alkali volatile, oleum ſuccini. Haec autem remedia ſunt, ad quae per

per paroxyſmum confugi debet, cum aegrota nihil in ventriculum per os accipere poteſt. Caeterum, remedia interna quoque danda, cum affectus ſpaſmodici non adeo graves ſunt, vel, cum fieri poteſt, quo vis poteſtatis nervoſae imminuatur, et motus convulſivi ſedentur. Quae remedia huic conſilio reſpondent, ea ſunt, moſchus, camphora, opium, aether, et gummi faetida. Moſchus, uti experientia teſtatur, non parum in affectus convulſivos et hyſteriam poteſt. Caeterum, purus et genuinus ſumma cum difficultate comparatur. Quantitate ſatis ampla datus, efficaciſſimus eſt; et igitur in omnibus affectibus ſpaſmodicis adhibetur. Quantum camphoram ſpectat, de virtutibus ejus antiſpaſmodicis inter omnes convenit; et, hanc ob cauſam, in hyſteria fuit adhibita, et, cum haec ex toto ſpaſmodica eſt, ſatis liberaliter data prodeſſe poteſt. Non multum laudata fuit, forſitan ob effectus ejus incertos periculumque eam doſi larga dandi. Denique, potius incerta et anceps. Quod ad opium attinet, quantum in ſpaſmis tollendis proſit, ex hoc apparet, quod remedium pro-

ſperum et efficax eſt in his affectibus ſpaſmodicis violentis, tetano nempe et opiſthotono. E phaenomenis, quae actionem opii comitantur, rite conſideratis, evidenter apparet, vim ſtimulantem et ſedantem ei ineſſe. Igitur, in vitiis ſpaſmodicis, a diſtributione poteſtatis nervoſae inaequali pendentibus, in quibus ad ſtimulantia vel ſedantia decurramus oportet, opium haud dubie proſit neceſſe eſt. Datum, paroxyſmo accedente, ſigna ſaepe levat, et paroxyſmum aliquando ex toto depellit. Cum ventriculo ingratum eſt, ex enematis dari poteſt, et hoc modo adhibitum ad magnum urinae profluvium, quod hoc in morbo tam ſaepe ſeſe oſtendit, imminuendum magnopere confert. Quanquam commodum ab opio adhibito oritur; caute tamen ſumatur. Ætheris vires antiſpaſmodicae ſatis notae ſunt. Hic camphora aliiſque antiſpaſmodicis magis volatilis eſt; et igitur his anteponendus, quoniam nervis affectis citius admovetur. Hinc ad eum potius in omnibus ventriculi et primarum viarum vitiis confugi debet. Optima eum dandi eſt in aquam diffundere, unde forſitan, ſi non diſſipetur, potentius aget.

Quantum

Quantum gummi faetida ſpectat, quo magis volatilis cujuſlibet gummi odor eſt, eo melius eſt. Hinc, non abſque cauſa gravi, aſſa faetida hodie in locum aliorum faetentium gummi ſuffecta eſt. Virtutes ejus per aquam, vel melius per ſpiritum, extrahi poſſunt, et doſis a quinque granis ad drachmam unam aut amplius variat.

Proximum autem eſt, ut nunc de conſilio altero, viz. II. per intervalla paroxyſmorum reditum praecavere, dicamus. Quae huic conſilio accommodantur, ea ſunt duo; 1. Cauſas occaſionales fugere vel removere; 2. Cauſas praediſponentes tollere.

1. Cauſas occaſionales fugere vel removere. Fugere autem cauſas occaſionales a notitia earum idonea pendet, et, cum eas ſatis fuſe enumeraverimus, nihil fere amplius de iis addere poſſumus. Omnes impreſſiones validae, et quicquid mentem irritat, caute vitanda. Cum enim paroxyſmi ab animo tantopere pendeant, hunc rite gubernare et regere pars curationis praecipua evadit. Hoc vero ſummam ſolertiam ingeniumque deſiderat. Si

animum

animum aliqua re conftanter intendere poffimus, cavebimus ne de ingratis cogitet, quae fumma moeftitia aegrotam afficiunt. Huic confilio ante omnia alia accommodatur peregrinatio, quae nova animo perpetuo objicit, et ita facit, ut de iis, quae fibi propria funt, cogitare nequeat. Cum fuppreffae vel auctae evacuationes morbum movent, hae remediis fibi fingulis accommodatis fanandae funt. Sed caufae remotae faepe non adeo facile vitantur, cum vix fperandum fit, opulentos defidiam, rationem victus luxuriofam, compotationes nocturnas, &c. mali diftantis metu affectos effe relicturos. Denique, non minus attente caufas occafionales reperire, quam eafdem repertas et detectas vitare, conandum eft.

2. Caufas praedifponentes tollere. Jam pofuimus, nimiam mobilitatem et fenfilitatem fyftematis nervofi, vel plenitudine factam, vel corpori ingenitam, proclivitatem ad hunc morbum dare. Quae remedia ad mobilitati a plenitudine pendenti occurrendum funt accommodata, ea funt abftinentia et exercitatio.

ercitatio. Nimius cibus ſumma cura vitandus. Namque, cum diaeta plenior plenitudinem tam facile creet, et factam augeat, diaeta parca, contra, eandem magna ex parte tollet. Quantum alimentum ſpectat, ſumma non tantum quantitatis ejus, ſed dotium quoque, ratio habenda. Cum cibus animalis tum vegetabilis nutrimentum praebet; gravis tamen ratio eſt, cur cibum animalem multo plus globulorum rubrorum et glutinis, quae pro parte ſanguinis nutriente habentur, ſuppeditare credamus. Igitur cibo animali magna ex parte abſtinere, et oleribus modice uti auctui glutinis et globulorum rubrorum, quae vaſis rubris potiſſimum continentur, et adaucta plenitudinem faciunt, potenter obſiſtent. Caeterum propterea quod dyſpepſia cum hyſteria frequenter conjungitur, moris communis fuit diaetam plenam animalem, qua nihil magis nocivum eſt, praeſcribere. Diaeta enim tenuior et quantitate et qualitate, uti medici expertiſſimi fatentur, utiliſſime reditui morbi occurrit, ſive a mobilitate per plenitudinem facta, ſive a mera ſenſilitate,

oritur.

oritur. Exercitatione nihil utilius eſt. Namque vita deſidioſa ſtatum plethoricum dat; quam alii minore cum noxa, quam alii, deſidiae ſunt dediti. Exercitatio vero non tantum valetudinem commodam ſubſtantem tuendo prodeſt, ſed quoque ei plenitudini occurrendo, quae fundamenta huic morbo et multis aliis plane ponit. Exercitatio actionem cordis et univerſum circuitum augendo, excretiones omnigenas, praeſertim perſpirationem, quae retenta plethoram evidenter inducit, promovet. Hinc in curatione hyſteriae admodum proſit oportet.

F I N I S.